CLARISSIMO, & ERUDITISSIMO VIRO ANTONIO COCCHIO EMINENTISS. & REVERENDISS...

Giovanni Antonio Bianchi, Valenti Gonzaga

oportet aliquando mentem, atque ad eas cogitationes erigere, quae ipsam, objecta quadam immortalitatis specie, delectant. Quapropter non puto, me contra officium facturum, si, levandi causa moeroris tui, te orem atque exhorter, ut eorum, quae infra te sunt, paullulum oblitus, ad ea oculos convertas, quae partem nostri meliorem supra humanos sensus attollunt.

Quanquam vero hoc genus consolationis, cum asperum videri potest, quod nihil ad mulcendum aegrum animum sensilis lenimenti afferat, tum mihi non facile explicatu sit; tamen, quae mihi in praesentia de illo in mentem venere, decrevi brevi ad te perscribere; non quod ea te fugere existimem, sed quod forsitan dolore impeditus minus ea perspicias. Quid est quod tantopere te commoveat tuus dolor intestinus? miserum, inquies, atque acerbum est amisisse Fratrem aetate integra, viribus florentem, in quo cum summum ingenium, & excellens plurimarum rerum scientia, tum vero summa in moribus, & congressu elegantia, atque humanitas miro quodam nexu conjungebantur; quem omnibus ornatum virtutibus incredibilis prae ceteris modestia suavissimum mihi, domesticis carissimum, exteris vero etiam commendatissimum efficiebat. Sed haec, quorum recordatione tuum video, nondum obducta cicatrice, exasperari vulnus, magni quidem vulgi aestimatione facienda essent ad augendam de amisso homine

mine

mine triſtitiam ; tibi vero , qui a vulgi opinione ſolutus , ſupra illud extolleris bonis artibus , ac philoſophicis diſciplinis , haud tanti aeſtimanda ſunt , ut propter Fratris jacturam, qui eadem poſſidebat, ipſe te excrucies. Cogita quemadmodum luſerit ſaepe fortuna nobiſcum, ſeu quemadmodum ut chriſtianè loquar , cum hominibus agat arcanum Divinae mentis, venerandumque conſilium. Nec novum, nec inauditum, immo & quotidiano uſu familiare eſſe comperies, eripi nobis inopina morte illos , quos vel ſanguinis propinquitate, vel ſtudiorum ſocietate , vel neceſſitudine aliqua chariſſimos habemus. Conſidera quot incommodis pars haec noſtri terrena obnoxia ſit, quae ut pulcherrima artuum ſtructura , ac mira machinarum compage ceteras corporeas res longe praecellit, ſic & omnibus pronior eſt in interitum; adeo circumſtantium corporum inſidiis , atque aggreſſionibus obvia, ut omnia paene elementa in ejus ruinam conſpiraſſe videantur . Neque ſolum ab inteſtinis diſſidiis ſibi metuendum eſt , ſed multo magis ab externarum vel minimarum rerum occurſu, quibus aut fluentium in eam partium intercipiatur curſus, aut conſiſtentium diſſolvatur nexus , aut congruentium libramenta concutiantur. Ita ſaepe fit, ut his impedimentis onerata , aut motus ſuos explicare, aut ab extranei corporis plexu ſeſe extricare non valeat, aut dum nimis contra nititur de ſtatione ſua convellatur, & ipſo pugnae aeſtu,

ac fervore ſuccumbat ; ac miſere occidat. Quid? quod ea ipſa, quae ad vitam neceſſaria ducimus, mortem identidem afferant. Quid aere magis neceſſarium? quid cibo? ab his tamen, etiamſi non immodico uſu a nobis in vitae conſuetudinem traducantur, noxia ſaepe contrahimus, quibus miris concretam modis ſenſim inoleſcere labem uſque ad noſtri internecionem non uno experimento didicimus. Sed quid ego tecum, Cocchi cariſſime, his de rebus diſſero, in quibus tu verſatiſſimus reperiare? me tamen juvat cum Viro doctiſſimo egiſſe, qui cum ſit plurima eruditione, ac experientia inſtructus, fateatur neceſſe eſt, quantacunque hominum diligentia, atque induſtria in perſcrutandis arcanis humanae machinae ductibus multa, ac mirabilia, quorum ignara fuit antiquitas, recens in illa comperta ſint, plurima adhuc ſupereſſe inveſtiganda, multas adhuc latere vias, abditoſque receſſus, quos inſolens morbus ad extinguendam vitam clandeſtine ſubeat, veſtraeque artis praeſidia ſubdole eludat. Quin & infinita propemodum in ea morti patent oſtiola, quae vel nos ipſi ingruentibus morborum ſeminibus imprudentes laxamus, aut vi, niſuque circumambientium corporum reſerata, ſaepe aditum parant irruenti veluti venenatarum ſagittarum procellae, qua mortalis haec moles obruitur, alieno, inſuetoque pondere ab eo libramento divulſa, in quo vitae momenta concluduntur. His autem malis, ſi verum

rum fateri vultis, nec utiliter, ac tempestive semper, nec aliquando tuto artem vestram occurrere posse, exploratum esse affirmabitis; cum nec medicamenti vires ad morbi libram exigere valeatis, & saepe vobis praeter sententiam eveniat, ut unde sperabatur salus, inde mors inopinato succedat. Quod tamen non vitio artis, quam scio inter omnes humano generi utilissimam, ac divino testimonio commendatam, sed hujus nostrae labentis machinae calamitati tribuendum est, quae cum innumeris undique petatur insidiis, illa saepe ac frequenter aperire non potest, a quibus interne obsidetur. Haec autem si tu sedulo meditabere, aut forte non dolebis ereptum tibi ex humanis optimum Fratrem, aut saltem dolori tuo moderabere.

Quam enim stabilem, firmamque spem in satiscenti hominis vita, quam nemo melius, quam tu, noscit esse caducam, locare poteras? Neque vero Frater tuus totus interiit, sed pars illa tantum de illo periit, quae ad interitum nata erat; ea superest adhuc pars optima nostri, quae est immortalitate donata. An doles interiisse quod suapte naturâ interire necesse sit? Cur potius non cogitas ab his terrenis artubus, ac moribundis membris, quibus immortalis spiritus quodammodo hebetatur, jam solutum atque liberum ad beatiorem, tranquillioremque vitam transiisse Fratrem? Sed tibi mortalis haec vita commodo, & voluptati

erat

erat; ab illa immortali nihil ſolatii, & emolumenti capis. Vide ne tibi plus aequo indulgeas, ne in optimum Fratrem iniquus ſis, ne demum lugendo tua potius, quam illius amiſſa bona, magis tua commoda, quam Fratrem amaſſe videare. Quod ſi fas eſſet Chriſtiano homini propter iſta dolere, ſocium doloris tui me ipſum haberes; nam plurima debeo Fratri tuo de meo ſodalitio optime merito accepta beneficia. Ille enim omnibus benevolentiae officiis noſtros homines, quoad vixit, pro ſua egregia in D. Franciſcum pietate proſequutus eſt: eis opes ſuas in auxilium, fortunas in praeſidium, domum in hoſpitium liberaliſſime contulit. Quae cum ego animo reputo, affici maerore non poſſum, quod ea commoda cum ipſo amiſerimus; ſed ſolatio, & gaudio quodam perfundor, quod nunc illi eadem, quae in nos contulit, beneficia ornamento ſint, atque laudi. Nam cum a ſanctiſſima Religione, qua ſingulari Dei Optimi Maximi beneficio imbuti ſumus, moneamur, unumquemque noſtrûm pro benefactis in praeſenti vita amplíſſimum fructum conſequuturum in futura, mihi ſane credere licet, eo loci Fratrem tuum perveniſſe, a quo lacrymas, luctus, triſtitiam longiſſime abeſſe, ac penitus exulare neceſſe ſit. Ad hanc autem ſpem non ea tantum me erigunt, quae ipſe praeclare geſſit, libero & honeſto homine digna; ſed multo magis opera illa, quae Chriſtianum Virum, quae Chriſti Dei noſtri Sacerdotem de-

decent. Tu enim ſcis, quanta in adverſis conſtantia, in proſperis moderatione ſit uſus. Noſcis quanta in Deum pietate, ac Religione Sacerdotali munere functus fuerit. Hanc vero pietatem, cum is ſaepe alias multis argumentis, tum cum paene animam exhalaret, egregie teſtatus eſt. Utinam, mi Cocchi, daretur nobis talem mortem oppetere, quam ſi flere velim, vereor ne me nimis miſerum prodam, qui obitum nobis optabilem Fratri tuo invidere videar. Nec tu, ſi ad haec animum adjicies, ita te comparabis ad ſuaviſſimi Fratris tui recordationem, ut quoties tibi amiſſi memoria ſuccurrat, toties illius ſentias ſine dolore jacturam. Interim velim quae ſcripſi ita accipias, ut tibi ſolatio ſint, mihi vero documento amoris erga te mei, quod officio non defuiſſe credar. Vale. Lucae Kalen. Januarii MDCCXXXI.

ROMAE
Ex Typographia Komarek
MDCCXXXVII.

Superiorum Permiſſu.